

**Dissertatio inauguralis medica de curcuma officinarum ejusque genuinis virtutibus ... / [Karl Christian Loeber].**

**Contributors**

Loeber, Karl Christian.  
Büchner, Andreas Elias, 1701-1769.  
Universität Halle-Wittenberg.

**Publication/Creation**

Halae Magdeburgicae : Typis Jo. Christiani Hendelii, [1748]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/jp9jpbbby>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

1512 6 V989  
DISSE<sup>R</sup>TAT<sup>O</sup> IN AVGVRALIS MEDICA  
34,327

# CVRCVMA OFFICINARVM EIVSQVE GENVINIS VIRTVTIBVS

QVAM  
SVB AVSPICIIS SVMMI NVMINIS

ET

CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE  
PRAESIDE

VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO  
DOMINO

## D. ANDREA ELIA BVCHNERO

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,  
POTENTISSIMO BORVSSIAE REGI A CONSILIS INTIMIS,  
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO,  
FACVLTATIS MEDICAE H.T. DECANO,  
IMPERIALIS ACADEM. NATVR. CVRIOSOR. PRAESIDE  
ET COMITE PALAT. CAESAREO,

## PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS  
DOCTORALIBVS LEGITIME IMPETRANDIS,

AD D. XXVIII. SEPT. A. S. R. M DCC XLVIII.

PVBICE DEFENDET

AVCTOR

## CAROLVS CHRISTIANVS LOEBER,

ALTBVRG. MISNIC.

---

HALAE MAGDEBVRGICAE,  
TYPIS IO. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.

LXII

Андрей Соловьев оставил  
запись о том что  
МУЯНИГОВО  
существует симе

Симеон  
Симеон  
Симеон

*ILLVSTRISSIMO  
AC CELSISSIMO DOMINO,  
DOMINO*

# **CAROLO FRIDERICO**

*S. R. I. COMITI  
DE HATZFELD ET GLEICHEN,*

*NOBILI DOMINO  
IN CROTTORFF WILDENBURGENSIVM,*

*DYNASTAE  
IN BLANCKENHAYN ET CRANNICHELD,*

*ITEM QVE  
IN SCHÜPF, WALDMANSHOFFEN, DLASKONITZ,  
SCALKE ET PODSEDTVZ,*

*HAEREDITARIO DOMINO  
PRINCIPATVS TRACHENBERGENSIS ET PRAVSS-  
NITZENSIS IN SILESIA,*

*VT ET  
DYNASTIARVM HALTENBERGSTETTEN ET LAV-  
TENBACH IN FRANCONIA,*

*SACRAE CAESAREAE REGIAEQVE HVNGARIAE  
ET BOHEMIAE MAIESTATIS CVBICVLARIO ACTVALI,  
ET GVBERNATORI REGNI BOHEMIAE.*

**DOMINO SVO GRATIOSISSIMO**

DISSERTATIONEM HANC IN AVGRALEM  
SANCTISSIMI OBSEQVII

AC

DEMISSISSIMAE VENERATIONIS

INTERPRETEM,

CVM VOTO

PERENNIS FELICITATIS

ET

INCONCVSSAE PROSPERITATIS

HVMILLIME CONSECRAT,

DEVOTISSIMVS CLIENS,

CAROLVS CHRISTIANVS LOEBER,

ALTBVRG. MISNIC.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA,  
DE  
**CVRCVMA OFFICINARVM**  
EIVSQUE  
GENVINIS VIRTVTIBVS.

PROOEMIVM.



Cum quamplurimae causae proximae tam per experientiam, quam rationem aptae censeantur, ad hunc vel illum mortalium morbum producendum, plurima idcirco quoque requiruntur media ad illas remouendas, quas e tribus naturae regnis, vegetabili nempe, animali & minerali, hactenus artis medicae periti in auxilium vocarunt. Quia autem non solum accurata & exquisita cognitio remediorum, ut a reliquis discernantur & principia, quibus praedita sunt, rite indagentur, sed & fundata perfectaque experientia, in quibus morbis & sub qualibus circumstantiis exhibenda sint, requiritur; hinc in praefenti specimine inauriali ex regno vegetabilium amoenissimo

plantam exoticam, CVRCVMAM nempe officinarum, feligere & ita explanare placuit, ut primum descriptionem plantae botanicam, a praestantissimis Viris sparsim traditam, praemitterem, notasque characteristicas tam vegetationis, quam fructificationis, indicarem; tum chymicam analysin instituerem, & principia, quibus in primis radix huius plantae gaudet, & ex quibus ipsius virtutes deriuandae sunt, ex fundamentis chymiae sanioris ante oculos ponerem & demonstrarem; tandemque obseruationes varias, tam in loco natali, quam aliis terrae finibus, de huius plantae facultatibus & praestantissimis virtutibus, in multis pertinacioribus & praecipue chronicis morbis suscepas, quantum necessitas postulat & temporis angustia permittit, subiungere, modumque agendi rationalem communicarem. Ceterum has ingenii mei primitias aequo Tuo L.B. relinquo iudicio, vtque qualescunque hi mei conatus in supremi rerum Conditoris gloriam proximi que adflicti emolummentum vergant, ardentissimis voveo precibus.

§. I.



§. I.



Sicut plurima vegetabilia, ita etiam C V R -  
C V M A nostra, tanquam exotica in-  
primis planta, multis, tam ab exteris,  
quam nostratis, onerata est nomi-  
nibus; quibus cum ob Scriptorum  
ingentem numerum & varietatem ca-  
rere non possimus, ante omnia, quae ad denomina-  
tionem & etymologiam spectant, quantum spatii an-  
gustia permittit, praemittenda esse existimo. Testi-  
bus BODALEO a STAPEL & Olae BORRICHIO,  
plantae nostrae nomen inditum esse videtur ob inae-  
qualitatem radicis, lupatis equorum similem, quae  
olim hodieque nodis ferreis, oliuarum instar sibi co-  
haerentibus, distinguuntur, *πέρνηται* nuncupatis. P O L -  
L V X Lib. I. Cap. II. Primis vero notitiae huius plan-  
tae annis a DIOSCORIDE ad Cyperi Indici genus re-  
lata, & nomine generico *Cyperus Indicus* vocata fuit.  
Vid. M AT THIOL VS in *Dioscoridem* pag. 27. Ab  
Arabi-

Arabibus *Crocus Indicus* appellatur, non autem quod aliqualem similitudinem cum croco habeat, sed quod radix eius non secus, ac crocus verus, colore flavo tingat. Vid. Ioh. BONTII *Histor. natural. & med. Lib. VI. Cap. XXX. p. 116.* Eandem forsitan ob rationem *Crocus subterrestris*, & a Lusitanis *Saffran da tierra* vocatur, AMMANNVS in *Hist. Bosian. pag. 10.* *Saffrano dell' Inde*, ACOSTA edit. Ital. pag. 193. *Manjella Koua*, COMELINVS in *Hort. Malabar. Tom. XI. pag. 21.* *Malaice Kunket*, LIN SCHOTT Part. III. Ind. Oriental. Cap. XIV. Zeylonensibus *Kaha* audit, quod Crocum notat, HERMANVS in *Thesauro Zeylanico* pag. 85. Ab Arabibus etiam *Terra merita* denominatur, quasi terrae induratae similis, RVELLIVS ad *Lobel. Icon. Lugd. Curcuma* foliis lanceolatis vtrinque acuminatis, neruis lateralibus numerosissimis, ROYEN *Lugd. 12.* *Curcuma* radice longa, Paul. HERMANVS in *Catalogo Hort. academ. Lugd. Batau. pag. 208.* *Curcuma* foliis longioribus & angustioribus, BREYNIVS *Prodr. 2. pag. 40.* In vernacula nostra *Gilbwurz*, a colore; ab effectu autem *Gelbsuchtwurz* audit; in officinis denique radix sub nomine *radix curcumae* venditatur.

## §. II.

Perlustratis denominationibus, nunc etiam ad explanationem botanicam progrediendum erit, & quia consultius est a facilioribus principium capere, deferam primas MORISONO, qui *Curcumam* in methodo sua a fructu desumpta ad Classem XI. refert,

vbi

*de Curcumā officinarum eiusque genuinis virtutibus.* 9

vbi culmiferas, quae semina solitaria post singulum florem habent, enumerat, illamque cum multis aliis plantis exoticis sub genere VIII. affinium exotica-  
rum locauit. Vid. eius *Histor. plantar. exoticar. Tom. II. pag. 253.*

§. III.

Post MORISONVM etiam R A I V S in consilium adhibendus est, qui in methodo sua, itidem a fructificatione desumpta, Curcumam ad Classem XXIV. graminifolarum floriferarum, vasculo tricapsulari, retulit, vbi sub genere VIII. quod plantas bulbosis affines, & floribus in surculo peculiari a radice orto continet, inuenitur. Conf. eius *Histor. plantar. Tom. III. pag. 649.*

§. IV.

Hisce adhuc subiungendus erit *Paulus HER-  
MANNS*, qui in Indiae regionibus plantam in pa-  
trio solo sponte nascentem vidit, & in methodo sua,  
pariter a fructu deriuata, Curcumam in Classem XVI.  
tricapsularium retulit, & sub genere II. seu illarum,  
quae flores ex theca habent, posuit.

§. V.

Absolutis methodis a fructu petitis, merito nunc adducenda erunt Plinii nostri temporis syste-  
mata, celeberrimi nempe *Caroli LINNAEI*, qui totam scientiam botanicam in exquisitiorem utilio-  
remque rededit formam, & methodos omnium per-  
fectissimas condidit. Primo igitur sistema eius a  
calyce desumptum considerandum venit, quod XIII.  
Clasibus absoluit, & Curcumam sub Classe I. spatha-  
ceorum

ceorum generis I. in quo spathae vniuersales spadice spathaceo recensentur, locauit. In altero autem sy stemate, a sexu desumto, Circumam Classi I. monandryarum, quae tantum unicum stamen habent, & generi I. monogyniarum, quae pistillo unico donantur, omni iure inferuit. Confer. eius *Genera & Classes plantarum*, item *Musa Cliffort.* & *Flora Zeylanica*.

### §. VI.

Quoad differentiam genericam praemissa haec sufficient; nunc etiam differentiam specificam perlustrabimus & characteres huic plantae tantum proprios indicabimus, quo ab omnibus aliis eo melius discerni possit. Quia autem totus plantae habitus considerandus est, primo characteres vegetationis, deinde etiam fructificationis indicandi erunt. Radicem huius plantae quod attinet, est illa longa, tuberosa, teres, in transuersum acta, zingiberis facie, crassitie digiti, ex multis propaginibus, cum circularibus in superficie zonis, geniculatim conflata, aliquot crassisculas fibras ex geniculis demittens, ponderosa, foris pallida & modice scabra, intus crocea ac temporis decursu in puniceum inclinans, solida quasi, ex condensato croceo succo pressius compacta, gustus acris, amaricantis, aromatici, pinguis, odoris fragrantis. En verba! *Pauli HERMANNI in Catalogo Hort. academ. Lugd. Batav. p. 208. & 209.*

### §. VII.

A radice transeamus ad caulem, quae consideratio etiam nobis characteres suppeditare potest; cum

*de Curcuma officinarum eiusque genuinis virtutibus.* II

cum autem radices simplicem caulem sine ramis  
emittant, ad scapos foliatos caulis referendus est.  
Nam e nouellis & robustioribus radicis tuberibus  
erigitur scapus dodrantalis, teres, succulentus, scri-  
ptorii calami crassitudine, ex viridi pallescens, infe-  
riori parte nudus, a medio vero ad cacumen vsque  
in crassam rotundam spicam fastigatus; vid. *Pauli  
HERMANNI Catalog. Hort. academ. Lugd. Batau.  
loc. cit.*

§. VIII.

Tertia vegetationis pars, cauli vel radici adpo-  
sita, appellatur *folium*, hinc etiam characteres Cur-  
cumae nostrae ratione foliorum recenseri merentur.  
Ex sententia vero W A C H E N D O R F F I I , Curcu-  
ma foliis lanceolatis, vtrinque acuminatis, neruis la-  
teralibus numerosissimis donata est; videatur eius  
*Index Horti Ultraiectini l. c.* Foliis longioribus &  
angustioribus, iuxta B R E Y N I V M in *Fasciculo ra-*  
*viorum plantarum II. l. c.* Foliis ab exortu pallide  
viridibus, postmodum ex flavo rubentibus, vel ex  
pallido flavis, duos vngues latis, sensim in recur-  
uum mucronem abeuntibus, squamatim disposi-  
tis, intra commissuras delitescit tenax & viscosus  
humor, collectus deciduus rore; vid. *Paul. HER-  
MANNI Catalog. Hort. Acad. Lugd. Batau. l.c.*

§. IX.

Folia denique Curcumae nostrae cannae Indi-  
cae adeo similia sunt, ut in exercitati Botanici non faci-  
le ea discernere queant. Huius etiam erroris *Paulus  
HERMANNVS accusauit BONTIVM*, qui in *Hi-*

*stor. natural. & med. Libr. VI. Cap. XXX. pag. 116.*  
loco Curcumae Cannam Indicam delineauit, in India occurrentem & multis hortis in regionibus nostris satis familiarem.

## §. X.

Differentia Curcumae officinarum, ab altera non officinali, ex oppositis iuxta se positis magis elucescit. Nostra gaudet radice longa, illa radice rotunda *Par. Bat. Pr. pag. 330.* Nostra foliis lanceolatis, altera foliis ouatis, utrinque acuminatis, neruis lateralibus paucissimis, praedita est. *Everh. van WACHENDORFF, in Indice Hort. Ultraiect. p. 313.* Nostra foliis longioribus & angustioribus, illa foliis latioribus & rotundioribus. *Jacob. BREYNIVS in Fascicul. rariorum plantarum II. l. c.* Plura de differentia harum plantarum, vide in LINNAEI *Musa Cliffort. Class. spathacear. pag. 15.* vbi exactissima nota huius plantae characteristica explicatur; genuinam autem nostrae Curcumae delineationem qui videre cupit, adeat COMELINI *Hort. Malabar. Tom. X. Tab. II.*

## §. XI.

Expositis partibus vegetationem constituentibus, transimus nunc ad recensionem partium fructificationis. Quia vero nullus hodiernorum Botanicorum de hac planta tam distinctas & perspectas notas characteristicas exhibuit, praeter Celeberrimum LINNAEVM, ante omnia ad illum confgiendum erit. Hic ipse autem doctissimus Vir partes Curcumae nostrae fructificationis sequentem in modum

modum explanauit, vt tuto omnibus aliis carere possimus. *Calyx.* Spathae plures partiales, simplices caducae. *Corolla.* Petali tubus angustus, limbus tripartitus, laciniis lanceolatis patentibus, sinu altero magis dehiscentibus. *Nectarium* monophyllum, ouato-acuminatum, laciniis petali maius, eiusdem sinui potentiori insertum. *Stamen.* Filamenta quinque, (quorum quatuor erecta, linearia, sterilia) vnicum (quintum) intra nectarium, lineare, petaliforme, apice bifido, anthera adnata. *Pistillum*, germen subrotundum, infra receptaculum floris. *Stylus* longitudine staminum simplex, vncinatus. *Perianthium.* Capsula subrotunda, trilocularis, triualuis, semina plurima.

§. XII.

De loco natali adhuc superest pauca commemorare. Curcuma, teste *Paulo HERMANNO*, non solum in syluis & locis desertis Indiae orientalis sponte crescit, sed etiam in agris & hortis ab incolis, ob radicis innumerum usum, colitur; plura legi possunt in *COMELINI Hort. Malabar.* Tom. XI. pag. 21. & in *BONTII Histor. natur. & medic. l. c.* Radix ad usum foditur peracta fructificatione; propagatur autem planta tam seminibus, quam nodulis, seu geniculis a radice resectis.

§. XIII.

Tradita descriptione botanica, quae structae externae suppeditat cognitionem, nunc ad internam ducimur considerationem, vbi vt in reliquis plantis varii generis tam fluida, nutritioni & pro-

agationi inseruentia, occurrunt; quibus perspe-  
ctis praestantia & varius usus facile per se patebit.  
**Cum** autem variae iam dudum plantarum partes in  
usum medicum vocatae sint, & mox fructus, mox  
flores, folia & cortices, mox denique radices, ad re-  
mouendas morborum causas, artis salutaris periti  
elegerint; a nostra vero planta omnes reliquae par-  
tes, excepta radice, haec tenus ab Europaeis reiectae  
sint: intactis hinc quoque reliquis, *radicem* tantum  
examini huic subiiciamus.

## §. XIV.

Prodeat igitur *radicis structura interna*, ubi,  
sicut in corporibus animantium, plures succos ad  
incrementum promouendum, putredinem auer-  
tendam & similes alios usus secerni; ita etiam in ve-  
getabilium amplissimo regno in variis utriculis &  
tubulis, seu vasculis, varios succos elaborari & con-  
tineri, principes Physicorum distincte obseruarunt,  
hincque plantis etiam ex principiis solidis structu-  
ram mechanicam adscripsérunt. Videantur Peril-  
lustris L. B. de WOLFF vernünftige Gedanken von  
dem Gebrauch der Theile in Thieren und Pflanzzen;  
Marcelli MALPIGHII Opera omnia botanico-medi-  
co-anatomica; Bernhard NIEVWENTY Erkänt-  
niß der Weißheit, Macht und Güte des göttlichen We-  
sens aus den rechten Gebrauch derer Betrachtungen  
aller irrdischen Dinge dieser Welt; itemque GREW,  
HALES & alii.

## §. XV.

Ad huius adassertionis §. praeced. propositae,  
confir-

confirmationem, inseruit etiam Chymia, cuius ope mihi sequentia patebant: Libram dimidiā, grossō modo puluerisatam, indebam retortae vitreae, ac sufficientem quantitatem aquae fontanae adfundebam, hancque dein destillationi e balneo arenae tradebam. Finita hac, in superficie excipientis interna conspiciebatur olei aetherei circiter dimidia drachma, & reliqua pars excipuli aqua lactescente ad dimidium usque repleta erat. Ex hoc experimēto facile concludere licet, oleum hocce aethereum ad sanguinis elaterem restituendum multum conferre valere, sententiam vero doctissimi b. m. NEVMANNI, in *Praelectionibus chymicis*, non ita simpliciter cum experientia conuenire, dum p. 923. asseruit, radicem nullo principio oleoso-aethereo praeditam esse, cum manifesto illud monstret, radicem nostram particulis oleofis compluribus, & ob aquam lactescensem etiam salinis praeditam esse.

§. XVI.

Destillatione sic peracta, libra dimidiā cum spiritu vini rectificatissimo infundebatur & in leni calore digerebatur, hacque ratione Tincturam admodum saturatam obtinui. Digestione peracta Tinctura filtrabatur & imposito alembico spiritus vini rectificatissimus abstrahebatur; finita abstractione remanebat corpus instar extracti, pondere vnciam unam referens, ab aqua insolubile, resinosum nempe, quod, ut reliqua corpora resinosa, ex particulis oleofis & acidis constat, de quibus Illustr. b. m. HOFFMANNVS in *Observat. physico-chymicis selec-*  
*& tiori-*

*Etiорibus pag. 55.* videndus. Facile ergo inde sequitur, hanc radicem etiam particulis oleosis, cum acidis coniunctis, gaudere, utpote e quibus resina orta est. Hoc etiam conuenit cum sententia celeberr. **GEOFR OY**, qui *Materiae medicae Tom. II. pag. 47.* hanc radicem sal amarum, cum aliis principiis coniunctum, possidere iudicat, sine dubio quia omnia corpora resinosa saporem amarum exhibent. Hinc etiam vires roborantes seu tonicae huius radicis.

### §. XVII.

Cum vero, instituto hoc modo descripto experimento, solubilis substantia radicis spiritu vini rectificatissimo non in totum solueretur, hinc residuum cum aqua pluviali infundebatur & leni calore digerebatur; peracta digestione filtrabatur & denique solutio haec successiue, mediante paullo fortiori calore, inspissabatur, sic remanebat substantia gummosa, pondere vncias IV. aequans, cum nonnullis resinosis partibus adhuc remixta. Residuum vero hoc extractum quoad maximam partem substantiae esse gummosae, ex sequentibus patebit, dum

- a) in aqua soluitur;
- b) ope ipsius corpora resinosa cum aqua combinantur & ab illa soluuntur;
- c) a spiritu vini rectificatissimo intactum relinquitur;
- d) ab acidis destruitur;
- e) in igneflammam concipit & oleum empyreumaticum destillatione largitur.

Ex

Ex praedictis aequa, ac aliis Chymicorum obseruationibus & operationibus, manifeste apparet, tam gummosa corpora, quam animalium gelatinam, multum saponaceae continere substantiae. Cum autem ex particulis oleosis & salinis alcalinis sapo consistat, (vid. BOERHAAVIUS in *Elementis Chymiae Tom. II. pag. 258. & 259.*) sequitur, nostram radicem etiam principium oleosum, cum salinis alcalinis particulis coniunctum, possidere, quod in principium saponaceum summe subtile mutatum est, vnde etiam deducendae sunt virtutes radicis egregiae, resoluentes, discutientes, &c. De saponum modo agendi vide plura in *Elementis Chymiae BOERHAAVII, Tom. II. pag. 260.*

### §. XVIII.

Praesentia salis alcalino-volatile sequenti experimento confirmatur: Puluis radicis, superfusa aqua fontana, in temperato calore asseruabatur, incipiebat quidem fermentare, sed quam citissime transibat in putredinem, simulque tam grauem spargebat putredinosum vaporem, qualis vix ab animalibus putredine corruptis percipitur.

### §. XIX.

Denique decoctum radicis aquosum cum variis solutionibus commiscebatur. Cum solutione cinerum clauellatorum & aqua calcis vivae color exaltabatur & in colorem obscuro-rufum transmuta-

C

muta.

mutabatur; cum acido vitriolico & aqua forti color luteus fere immutatus manebat. In hoc experimendo problema esto: An color succi obscuro-flavi, in variis huius radicis vtriculis per microscopia satis manifesti, a principio alcalino volatili dependeat, & luteus ab acido?

### §. XX.

Praemissis ac demonstratis huius radicis principiis, sponte ad usum medicum nunc ducimur. A permultis materiae medicae & botanicae scriptoribus laudem consecuta est summam & ad astra quasi extollitur, quod complurium morborum causis tollendis sufficiat, & non raro in eorum curatione totam quasi paginam absolvat. In COMELINI *Horti Malabarici Tom. XI. pag. 21.* sequentia de illius virtutibus praedicantur: *Succus cum radice contusus vel levigatus, orificium reficit, halitum gratum facit, exhilarat, melancholiam pellit, sanguinem purgat, venerem excitat, ventriculum & cerebrum confortat, obstructiones renum & vesicae tollit, menstrua prouocat, leniter aluum laxat, hydropis in curat. Breui, omnium consensu planta praeexcellens, & excellen-tissimis praedita virtutibus.* Modum autem operandi radicis nostrae concinne indicauit SAM. DALE in *Pharmacologia sua p. 363.* dicens: *Abstergit, attenuat, aperit, discutit, hinc menses mouet, difficultatem pariendi aufert, obstructiones viscerum aperit, urinam ciet, calculum expellit, in ictero, hydrope, cachexia, &c. speci-*

*specificum est.* Et haec sunt, quae in genere de praestantia Curcumae laudem merentur; nunc etiam speciales quasdam obseruationes perlustrabimus & quantum necessitas vrget, modum agendi indicabimus.

§. XXI.

In *Ictero* a multis experientissimis viris tanquam praestantissimum remedium commendatur, hocque in morbo nostra radix tam in patria, quam in aliis terrae finibus, usurpatum. *BONTIVS* in *Histor. natur. & med. Libr. VI. Cap. XXX. p. 116.* sequentia de illa annotauit: *Peculiare & specificum remedium in ictero, quod multoties feliciter expertus sum.* In suo autem *Tract. de Medicina Indorum p. 115.* casum speciale allegauit, vbi Curcumam exoptato cum successu exhibuit. In nostris regionibus *Illustr. b. m. FRID. HOFFMANNVS*, in *methodo medendi, seu therapia generali*, illam inter specifica contra affectus ietericos locauit, ut & in *Dissertatione de specifica quorundam remedium efficacia, §. XXV.* & *ZORNIVS* in *Botanologia p. 249.* non parum itidem virtutis ad icterum tollendum eidem adscripsit. Plures interim causae mediatae occurrunt, quae ad hunc morbum inducendum aptae sunt; in genere quidem vitium, seu status morbosus hepatis & cystidis felleae accusandus venit; sed in specie vel affectus spasmodicus in hepate, a materia acri & caustica, in ductibus biliariis haerente, ortus, vel calculi in cystide fellea & hepate,

vel denique bilis tenax & viscida, quae non facile per cystidem transit, & reliqua symptomata simul producit, eiusmodi causas constituunt. Ad has omnes ergo profligandas & remouendas, radix nostra non sine fructu exhiberi potest, siquidem principio gummoso, seu melius saponaceo, §. XVII. demonstrato, & hinc resoluentे, aperiente, attenuante virtute praedita est. Vid. Samuel. DALE in *Pharmacologia l.c.* Prouide ergo & continuato eius usu, sub conuenienti forma, non solum obstrunctiones in ductibus hepatis biliaris auferuntur, materia caustica spasmos excitans remouetur, & ob principium sulphureum, seu oleosum, sanguinis motus augetur, secretio bilis promouetur, calculique ex ductibus biliaris, cystide fellea, vel ductu choledochi expelluntur, hac tamen non nisi sub conditione, si tales ratione magnitudinis suae diametrum ductuum, per quos migrare debent, non nimium superant. De virtute nostrae radicis resoluentे legi possunt plura in doctissimi GEOFROY *Mater. med. Tom. II. pag. 47.* ubi illam inter medicamenta praestantissima contra iectum refert.

## §. XXII.

Circa *cachexiam* variae itidem pro diuersitate aegrotantium occurruunt causae antecedentes, quae pro obtainenda sanitatis restitutione remoueri debent. Nam interdum obstrunctiones viscerum, haemorrhagiae salutares suppressae, imo tonus ventriculi

culi deiectus, potissimum hunc affectum producunt. His iterum omnibus indicationibus Curcuma nostra respondet, suppressas nempe haemorrhagias salutares, ob virtutem resoluendi, attenuandi & obstructiones referandi, & denique tanquam securum diureticum ac emenagogum, simulque fluxum haemorrhoidalem ciens, restituit, & obstrunctiones aufert. Vid. COMELINVS in *Horto Malabar.* l.c. BONTIVS in *Histor. natur. & medic.* loc. cit. qui his verbis id confirmat: *Ceterum excellentissimum est remedium in obstructionibus viscerum, pulmonum nimirum, iecoris & lienis, tum in oppilatione venularum mesaraicarum, tum nephriticis doloribus, calculo renum & vesicae efficaciter opitulatur, tum foeminis menstrua promouet, difficultatem pariendi aufert.* Et in Tract. suo de Medicina Indorum loc. cit. commendat nostram radicem in cachexia, hunc in modum: *In utero remedium specificum. At certe ut verum fatear, nihil aequum in his affectibus praestantius in quotidiano usu reperi, quam praestantissimum hoc inter omnia remedium.* Hae virtutes de illa etiam praedicantur in HERMANNI *Cynosura materiae medicae,* a Ioh. BOECLERO continuata, pag. 52. Denique si ventriculi debilitas accusanda & tonus amissus restituendus est, tunc ob principia aromaticae fibrae antea relaxatae ad solidiorem contractionem stimulantur, & ob principia balsamica roborantur, sicque insimul concoctio promovetur; videatur de his testimonium in COMELINI

in *Hort. Malabar.* loc. cit. Si autem cachexia a nimis excretionibus, haemorrhagiis & a viribus summe exhaustis otum suum traxit, melius vtique sanguinem, succos laudabiles & vires restituentia exhibentur, huiusque radicis usus, vtpote minus tunc conueniens, plane omittitur.

### §. XXIII.

*Affectus hydropicos*, scandalum illud communne Medicorum, quod attinet, tam in anasarca, quam ascite, lymphae serofae plus vel minus viscidæ, aut acris extravasatio aut stagnatio immediatam causam constituit, quae satis testantur de relaxatis & debilitatis partibus, de retardato sanguinis per venas potissimum transitu, & denique de excretionibus salutaribus imminutis. Inquirendae igitur causae tales, vt in cachexia, & quia tantum gradu hydrops ab eadem differt, hinc radix nostra pro conditione causarum etiam in talibus affectibus in usum vocanda est. Virtute enim iam satis nota resoluentे, diuretica &, teste COMELINO in *Hort. Malabar.* cit. loc. leniter laxante, symptomata statim mitigantur & pro ratione causarum haemorrhagiae salutares suppressae reuocantur; balsamico robore etiam principio sanguinis circulus liberior & celerior redditur & tonus intestinorum deiectus iterum restituitur. BONTIVS etiam usus huius radicis in hydrope mentionem fecit in Tract. de Medicina Indorum pag. 149. praecipueque ab illo laudatur,

tur, si cum magis robortibus, e. g. cortice chinenae, combinaretur & in decocto exhiberetur. Plura videantur in ZORNII *Botanologia loc. cit.* in HERMANNI *Cynosura mater. medic. loc. cit.* & in SAMUEL DALE *Pharmacologia iam iam allegata.*

§. XXIV.

In affectibus pedum *oedematosis* satis notabile exemplum mihi a Viro omni fide dignissimo communicatum est, de nostrae radicis egregiis & excellentissimis virtutibus, vbi a continuato eius vsu aegrotus sine aliis remediis feliciter restitutus fuit. Non tamen indiscretim tunc proficuum eam iudico, sed causae prius lustrandae sunt, siquidem si malum ab erysipelate incongrue tractato & cum saturninis externe male curato principium suum sumvit, minime respondebit & exoptatum finem implebit.

§. XXV.

Ad partum facilitandum & foetum expellendum ab Indorum obstetricibus haec radix ad irrigiones usque extollitur. BONTIVS in Tract. de Medicina Indorum pag. 149. & pag. 38-40. scribit: In mulierum morbis nullam aequa celebrant Malaicae mulieres, quam hanc radicem, nam diuinis laudibus efferrunt in facilitando partu. Modus agendi facile indicari potest, omnia enim diuretica & emmenagogica ad partum pellentia referri possunt, & ob principium

pium oleoso-aethereum liberior & celerior sanguinis circulus promouetur, fluida & vasa expanduntur, hocque modo partus interdum facilitatur. Interim tamen cum eiusmodi medicamentis caute est mercandum eademque non prius exhibenda sunt, quam foetu in debito situ constituto, satisque perspectis causis exclusionem eius retardantibus.

## §. XXVI.

**COME LINVS** in *Horto Malabarico* l.c. usum huius radicis quoque ad *melancholiā* profligandam commendat, facileque omnino locum in melancholia hysterica & hypochondriaca inuenire potest, si illa a stasibus & retardato sanguinis circulo in visceribus abdominis dependet. Ob principia enim iam adducta humorum quoque spissitudinem tollere successiue potest, unde dein stases resoluuntur, & circulus eorum per totum corpus aequalis redditur, ac insimul excretiones retardatae debitum in ordinem restituuntur.

## §. XXVII.

Denique notatu adhuc dignissimum est, quod speciatim quoque in *febribus intermittentibus* haec radix egregium, securum & fere infallibile remedium, multoties per experientiam comprobatum, constituat. Praeparatis nempe antea corporibus & quando paroxysmi mitiores euadunt, illa ad scrupulum

pulum vnum, vel dimidiā drachmam, cum sale digestiuo porrigitur, hocque facto & exhibitis aliquot dosibus, paroxysmi primo magis imminuuntur, & paulo post, cum excretione interdum notabili, plane cessant. Modus hic agendi febresque sine noxa profligandi non aliis esse potest, quam quod materiam, partes neruosas irritantem, directe remoueat, excretiones impeditas restituat, partesque affectas debilitatas iterum roboret. Omnes vero scriptores, quos in consilium vocare mihi licuit, nullam prorsus mentionem singularis huius antifebrilis virtutis fecerunt, solo ZORNIO excepto, qui in *Botanologia* supra citata pag. 249. sub finem commemorat, hanc radicem inueteratas febres curare.

### §. XXVIII.

De usu interno haec praemissa sufficient, restat igitur tantum *externus*. In nostris regionibus Curcuma externe, quantum quidem constat, nunquam adhibita fuit, sed tantum in India, seu loco natali, sub forma vnguenti, in aestu febrili, in usum vocatur. BONTIVS de usu externo in forma vnguenti nos certiores reddidit, *Histor. natur. & med. Libr. VI. pag. 17.* vbi sequentia consignauit: Hanc (scilicet radicem nostram) cum puluere santali & aliis floribus odoratis, post dicendis, in marmore subigunt in vnguenti consistentiam, quo uniuersum

D corpus,

*corpus, tam viri, quam foeminae, imungunt: Quod quamvis insolitis aspectu foedum, propter flauum colorem, sit, tamen aduersus calores febriles & solis ardores, tum molestissimos quoque culicum morsus, summum est iuuamen.* Vnguentum in inflammationibus proficuum ex hac radice a BONTIO etiam describitur, in Traet. de Medicina Indorum, pag. 142. & 143. Ex hoc colligi potest id, quod complures Practicorum iam annotarunt, plurima nempe medicamenta purgantia, laxantia & diuretica, etiam externe discutientia & resoluentia esse. Vid. beat. SCHVLZII Dissertationes, de febrium curatione antiqua, de medicamentis resoluentibus & de chamaemelo.

## §. XXIX.

Ad sternutationem excitandam puluis huius radicis quoque adhibetur, ob particulas nempe falinas, quibus sicuti papillas linguae nerueas vellicat, etiam tunicae pituitariae fibrillas neruosas irritare & talem commotionem excitare potest. BONTIVS usum hunc sternutatorium his verbis in Histor. natural. & medic. loc. cit. indicauit: *Nuper rimme obseruavi, Chinenses etiam in sternutatoriis hac radice uti, instar radicis Hellebori albi.* Et sic experientia illud confirmat, quod antea ex rationibus certis indicatum fuit.

## §. XXX.

§. XXX.

Denique si haec radix in usum medicum vocatur, recens esse debet, non facile fragilis, non colore nigro tincta & vermiculosa, sed sapore amaro praedita, ratione consistentiae solida & compacta, extus flava intusque rubicunda. Sub varia etiam forma in arte salutari exhibetur, siquidem communissime in pulueribus, quandoque etiam in decoctis & infusis, rarius tandem in Essentiis & Tincturis, offertur. Puluis cum salibus digestiis, tenerioribus absorbentibus, cinnabari, aliisque, pro intentione medentis, miscetur. Si in decocto praescribitur, haec cautela obseruanda est, ut sub finem saltem decoctionis addatur, ne pars optima volatilis & oleosa calore nimio profligetur & tantum fixiora principia remaneant. Si vero sub forma Tincturae exhibenda est, menstrua, quae corpora gummeo-resinosa soluunt, requiruntur, tamque Tincturam praeparare docuit C A R T H E V S E R V S in sua *Pharmacologia* pag. 158. Dosis quod attinet, in substantia plerumque a scrupulo uno ad integrum drachmam, in infusis autem ad unam alternue unciam praescribitur.

§. XXXI.

De usu mechanico in arte tinctoria, & oeconomico in arte coquendi, plura quidem adhuc enumerare

enumeranda superessent; sed quia nec ad praesentem scopum striete pertinent, nec spatii & temporis angustia id permittunt, sicco talia praetereo pede, & DEO T. O. M. pro clementissime concessis viribus, ad perficiendum hunc qualemunque laborem, immortales refero grates, omnesque vltiores meos conatus immensae Ipsius gratiae deuotissime commendo.

## TANTVM.

